



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. II. Quæ sint species Luxuria consummataæ naturales?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

DUBIUM II.

Quæ sint species luxuriæ consummatae naturales?

Resp. Eæ dicuntur, in quibus fit commixtio eo modo, quo natura instituit, v. g. quando servatur sexus diversus, species eadem, vas & modus naturalis, &c. *ut vide in principio hujus cap.* Unde resolvitur, tales esse has sequentes, quæ ided in confessione sunt exprimendæ.

I. Est Fornicatio, quæ est concubitus soluti cū soluta, (hoc est, quæ sit libera à voto, matrimonio, religione) ex mutuo consensu. Ad hanc reducitur. 1. Concubinatus, qui est fornicatio continuata. Unde concubinarius (sicut & meretrix) ordinariè non debet absolvi, nisi dimissa concubina, aut muliere suspecta, cujus retentio scandalum daret, licet cum ea non peccaret, *Sanch. l. 1. mor. ca. 8. Nav. c. 3. Fill. tr. 30. c. 2. n. 56. 2. Congressus cum alterius sponsa, quæ est fornicatio intra eandem speciem gravior, & in confessione aperienda, saltem respectu sponsæ, ut docet Rodrig. tom. 1. cap. 109. Sanch. de mat tom. 2. l. 1. d. 2. num. 6. Fagund. t. 2. l. 4. c. 3. Fill. s. 2. tr. 30. c. 2. n. 53. contra Covar. Viraldum. Ledes. Azor. quorum sententiam (etiam respectu sponsæ) probabilem, & in praxi tutam, censet Dian. p. 1. tr. 7. R. 5.*

II. Stuprum, hoc est defloratio virginis, ipsa invita; quia si consentiat, erit tantum fornicatio simplex, nec circumstantia in confessione aperienda, ut probat Less, *Sanch. l. 17. d. 12. contra Nav. Azor. & alios.*

III. Raptus, cum scilicet persona aliqua, (sive masculus, sive foemina; sive nupta, sive innupta) libidinis causa abducitur, illata vi, sive abducta, sive iis, quorum potestati subest. Si quæ tamen sponte discedat cum Amasio, in sciis parentibus, non erit proprie raptus, sed fuga non addens malitiam specie distinctam fornicationi. *Lugo. d. 16. n. 237. Fill. num. 110. v. Bonac. Idem dicit Dian. p. 1. t. 7. R. 37. ex Less l. 2. cap. 10. dub. 4. Sanch. de matr. 10. 2. l. 7. d. 4. n. 5. &c.*

IV. Adulterium, cum scilicet uterque, vel alteruter coeuntium, est conjunctus matrimonio, etiamsi adulterantis conjux sit contentus: esto enim tunc illi non fiat injuria, fit tamen ipsi statui, Sacramento, & huic præcepto. Quod foemina adulterans sit conjugata, gravius habetur, quam si vir; propter incommoda graviora, v. g. damnum veri hæredis, prolis incertitudinem, &c. Si verò uterq; sit conjugatus, adhuc gravius est: quia sunt duæ injuriæ in utriusq; conjugem, in confessione exprimenda, *Fill. 2. 29. c. 4. n. 85. & 89.*

V. Incestus, hoc est congressus cum consanguinea, vel affine, usq; ad quartum gradum: eò gravius peccatum, quo gradus est propinquior: quem proinde in confessione exprimere, saltem securius est, ut habet *Nar. c. 6. C. Lugo d. 16. n. 312.* Sicut etiam multo gravior est incestus cum consanguinea, quam cum affine in eodem gradu, v. gr. cum matre, quam cum noverca; cum sorore propria, quam cum sorore uxoris. Et rursus, gravior est cum affine, quam cum cognato spirituali vel legali. Addi verò debet, si in primo gradu fuerit, utrum

cum matre, an cum filia, an sorore, *C. Lugo l.c. & Escob. de actibus humanis E. 2. c. 6.* ubi ex *Hurta. d. 9. de pœn. dif. 4.* probabile dicit, incestum in eodẽ gradu & linea, ejusdem esse speciei, (eodẽ tamen graviolem, quo gradus est vicinior stipti) & satis esse dicere, habui rem cum consanguinea in linea recta. Ad hanc speciem revocatur tanquam analogã, fornicatio cum filia confessionis, cum proprie non sit cognatio spiritualis, quam tamen circumstantiam in confessione exprimendam esse, probat *Sanch 7 de matr. d. 55. Cõn. d. 32. Fagund. & ceteri probabiliter contra Sa. V. Confessio. & Dian. vide C. Lugo n. 355.*

VI. Sacrilegium, hoc est violatio rei sacræ per actum venereum. Res autem sacræ, quæ sic violantur sunt locus, & persona. Unde sacrilegium est 1. omnis actus luxuriosus exterior, (qualis etiam est v. g. pollutio, & probabiliter etiam tactus impudici, ut *v. C. Lugo n. 464.*) in loco sacro, hoc est templo, vel cœmeterio: nisi tamen fiat à conjugibus, ex necessitate, v. g. ad vitandam incontinentiam. 2. Omnis actus luxuriosus tam interior, quàm exterior in persona, vel cuius persona voto castitatis consecrata: circa quem tamen non probabile est, non opus esse exprimere, utrum fuerit votum solemne, an simplex. Sicuti neque, si duplici titulo sit sacrata, v. g. quia est Sacerdos & Religiosus: quia moraliter est una numero malitia *Sanch. de matr. l. 7. d. 27. n. 27. Henriq. & ceteri, quos citat Diana, & sequitur p. 1. t. 7. R. 3. vide C. Lugo d. 16. de pœn. s. 4. Bon. q. 4. p. 17. Esc. E. 8.*